AUTHOR:

RHODE, CARL

TITLE:

DE ANACOLUTHIS MAXI-
ME GRAMMATICIS

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

[1833]

Master Negative #
93-81172-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Rhode, Carl,
De anacoluthis maxime grammaticis in libris Ciceronis De oratore; dissertatio quam... publice defendet Carolus Rhode... Vratislaviae, typis Kupferi, [1833]
42 p. 22 cm.

Thesis, Breslau, 1833.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm.
REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-17-93
INITIALS JA
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No 2

2

DE ANACOLUTHIS MAXIME GRAMMATICIS IN LIBRIS CICERONIS DE ORATORE

DISSERTATIO,

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM

ORDINIS AUCTORITATE

PRO IMPETRANDA

LEGENDI VENIA IN LITTERARUM UNIVERSITATE VRATISLAVIENSI

DIE I. JULII MDCCCXXXIII

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS RHODE

DR. PH.

VRATISLAVIAE.

TYPIS KUPFERI.

PRAECEPTORI

SUO

C. E. CH. SCHNEIDERO.

Anacoluthiam si ad verbum in linguam Latinam traducamus, verti ea debeat inconsequentia, quae tamen vox illo sensu nescio an propterea in usum non venit, quod Quintilianus 8, 6. med. ea ut vitio orationis utitur: unde factum sit, ut Graecum vocabulum Latino anteferretur. Est enim anacoluthia non vitiosa sed a syntaxi legitima abhorrens ea orationis conformatio, qua una pluresve iunctae enuntiationes re et sensu non verbis et constructione ad finem perducuntur: i. e. qua conformatione vel non omnes enuntiationem plenam efficientes partes orationis adsunt, eae quidem ex adiectis sed non legitime atque analoge petendae; vel membrum respondens desideratur integrum, et ipsum non plane omissum sed sub alia forma quaerendum. Rursus duplicem speciem anacolutha offerunt, quum aut in ipsius orationis qualitate caussa aliqua perspiciatur, cur ipsa admittantur; aut eiusmodi sola ratio deprehendatur, quae in loquentis animo atque voluntate est posita, quales sunt vel motus animi, vel ars oratoris vim

aliquam captans vel urbanitas scriptoris vel spectata quaedam negligentia. Sit autem hoc rhetoricum, illud grammaticum anacoluthon. Atque rhetorici quidem sunt pro nostra anacoluthiae definitione duae hae partes: aposiopesis et variatio, quam dicas: quarum illa unum enuntiatum ita imperfectum significat, ut ex adiectis gestibus sonove vocis vel orationis reliqua facile suppleantur, haec immutatam enuntiatorum adiectionem exhibet, ut quum Cicero in Verrinis dicit: *Non modo oppidum nullum, domus nulla paullo locupletior expers huius iniuriae reperietur* pro: *sed ne domus quidem ulla;* aut quale est hoc eiusdem auctoris libro de Or. tertio: *Quos ego censor edicto meo sustuleram, non quo acui ingenia adolescentium nollem: sed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam* pro: *sed contra, quod etc.* Quorum utrumque alterum altero multo est efficacius. Grammaticorum vero anacoluthorum, qualia nobis tractanda sumsimus, partitionem etsi infra accuratius explicabimus, per se tamen intelligitur rhetoricorum divisioni respondere debere: quibus nomen imponamus aut *absolutorum* aut *relativorum.*

Iam si quaerimus, quae in ipsa orationis indole caussa esse possit, cur anacoluthon exsistat: solam videmus illam, quae interiectis quibusdam continetur, quae quum scriptori longiora videntur, quam ut nullo perspicuitatis damno oratio eodem modo, quo coepta fuerit, continuetur, admittitur anacoluthon, quod si fit, sententiae absolutio initio constructionis magis minusve neglecto se ad interposita applicat. Sed nihilo fere rarius apud Ciceronem quidem tum

quoque anacolutham orationem invenimus, quum brevior est illa enuntiationis distractio, quam ut in eius longitudine caussam esse dicas, cur scriptor a iusta ac legitima constructione recesserit: id quod tum fieri solet, quum intertexta locutio saepissime habet alteram sibi obnoxiam locutionem; atque ita, quoniam est hoc in natura uniuscuiusque linguae positum, inprimis autem gravium adeo atque vegetarum, quales sunt veteres illae, ut ultimum quodque maximam vim exerceat: ita igitur fit attractione quadam, ut quae ad superiorum imperium ac ditionem pertinebant, ab inferioribus tanquam in alienas possessiones irruentibus sibi vindicentur atque subiiciantur. Est quidem etiam in illis anacoluthiae exemplis, quae longiore quodam interiecto efficiuntur, continuantium ad interposita inclinatio quaedam conspicua, sed illa minus insignis et magis ab interiectorum longitudine quam vi et potestate profecta, quum altera paene oculos feriat atque ab nulla externa caussa pendeat praeter interiectorum facultatem quandam et efficientiam. Quare illam continuantium mutationem *applicationem,* hanc *attractionem* vocemus: quas tamen posse facile alteram in alteram abire atque iunctim adesse, quis non videt? Iam una anacoluthorum per attractionem effectorum e Graeca lingua petita species est, quum inserta formula subiectivam adiunctionem continens, quales sunt *ὡς φησί, ὡς λέγουσι, ὡς πυνθάνομαι* et similes, mutata natura sua parenthetica, vim regentis enuntiationis adipiscitur, qui usus Herodoto est frequentissimus: ad quem anacoluthorum ordinem pertinet locus Ciceronis admodum dubius Brut. 31.

121. Quaeritur enim ibi, utrum contra omnem prosaicorum quidem e Graecis scriptorum consuetudinem primaria sententia iam ante interiectam ad hanc accommodata admitti debeat an non? Ac criticorum quidem subsidiorum haec est ratio:

„*Iovem sic, ut aiunt philosophi, si Graece loquatur, loqui.*“ Iunt. Man.

„*Iovem sicut aiunt ph., si Gr. l., l.*“ Guelf. A. B. Nor.

„*I. sicut a. ph., si Gr. l., sic loqui.*“ Crat.

„*I. sic ai. ph., si Gr. l., l.*“ Cd. 1. ap. Grut. (Orell.)

„*I. a. ph., si Gr. l., sic loqui.*“ Riv. Lamb. Grut. Ern.

Apparet hinc satis, plurimum auctoritatis habere eam, quam primo loco posuimus, lectionem, quacum faciunt Iu. Man. nec minus, levissima correctione adhibita, Nor. Guelf. A. B. Accedit quod eadem est difficilior lectio, unde quomodo reliquae sint ortae, est in propatulo: quam ob caussam, etsi eandem constructionis rationem alio etiam Ciceronis loco deprehendere mihi non contigit, primam tamen scripturam tuendam censeo, ratus, Nostrum consulto, nescio an non satis ponderata huius attractionis indole, fines pedestris Graecorum orationis transsiluisse. Certe non semper optimos Graecorum imitatores exstitisse Romanos, egregium exemplum Hermannus dedit ad Vig. p. 884. sq., ubi docet, Latinos, quum Graecos imitari voluerint, natura Graecae dictionis non perspecta, minus recte dicere: „*studiosior quam sapientior.*“

Sed iam illuc ut redeamus, unde degressi sumus, grammaticorum anacoluthorum vim et naturam in externa aliqua caussa positam esse si diximus, monendum est, hoc non ita esse interpretandum, quasi scriptor lege quadam grammatica coactus fuerit, ut ita neque aliter scriberet; poterat enim perspicuitatis caussa superius dicta post interiecta iisdem verbis repetere; nec magis tanta est interiectorum auctoritas, cui non obtemperare nefas sit, immo ea longe etiam frequentius nullam ad sequentia vim habent: ex quibus omnibus apparet, in singulis grammaticis anacoluthis latere aliquod scribentis consilium, ad quod perficiendum inservit externa orationis conditio; isque finis quum sit nec sola sermonis perspicuitas neque vero grammatica et logica probabilitas, cui ille finis etiam contrarius intelligitur; quem alium ullum statuas nisi rhetoricum aliquem, i. e. venustatem orationis et gravitatem. Talia apud Ciceronem momenta inveniuntur in orationibus ardor animi atque studium (Verr. I. 18. in.), indignatio (Verr. 3, 71. in.; Prov. Cons. 4. in.), modestia (Pla. 10. in.); in libris rhetoricis et philosophicis variationis quoddam studium et cura, ne constructio nimis ad amussim facta videatur, sed ut vivi sermonis formam quasi subitariam haud inepte exprimat: hoc in epistolas quoque cadit. Ceterum observari licet, paucissima, id quod facile explicatur, grammatica apud Ciceronem anacolutha in orationibus, plurima in rhetoricis et philosophicis libris deprehendi: quae in his cur sint crebriora longe, quam vel in ipsis epistolis, quod tamen omnium scribendi generum haberi solet familiarissimum, caussae hac

sunt, quod et in istis dialogis, qui etiam dimidiam rhetoricorum partem efficiunt, exemplar Noster sequitur Platonem, et concisa magis epistolarum dictio anacolutha minus patitur; quo accedit, quod dialogus personarum vicissitudine eam habet cum sermone vivo similitudinem, quae illi epistolarum familiaritati certe nihilo sit inferior.

Figura quin sit anacoluthon, ex iis, quae dicta sunt, nemo jam addubitabit, qui statuit, figuram esse eam orationis conformationem, quae ob certam aliquam caussam recedat a communi et primum se offerente ratione. Similis est nostrae figurae ellipsis, quum ut per hanc sic etiam per illam fieri aliqua omissio soleat: sed interest, quod ellipsi aliquid ad sententiae integritatem sic deest, ut ex grammaticis legibus tamen oratio pro integra habeatur: quod in anacoluthon non cadit. Sic constructio verbi *adduci*, qua est idem quod *putare*, *intelligere* et similia, nil nisi ellipsin exhibet.

Restat, quo magis vis ac notio eius, quod nobis videtur, anacoluthi grammatici enucleetur, ut videamus, quibus cum aliis hoc loquendi genus in scriptis Ciceronianis vel confusum sit a viris doctis vel ne confundatur cavendum sit. Quam quidem quaestionem etsi intelligo tum fore longe utilissimam, si ad omnia omnium veterum auctorum similia dicendi genera pertinuerit: non despero tamen, his quoque de Cicerone observationibus vagae illi paullulum anacoluthi definitioni lucem quantulamcunque adspersum iri. Ac primum quidem praecedentium eadem constructione post interposita repetitio, sive sunt eadem verba posita sive paullum immutata,

pro anacolutho (quo iam deinceps grammaticum solum significabimus) haberi non debet. Nam hoc modo utraque, et praecedentia et consequentia habent suam constructionis absolutionem, illam quidem ad duas simul partes referendam, sed tamen aptam: quae est dilata non sublata constructionis perfectio; nec magis est illud anacoluthon, quam quis plures ac varias protaseos partes ad unum apodoseos membrum pertinentes anacoluthon esse dixerit. In hac epanalepsi Ramshornius p. 1009. ed. II. etiam hoc e Planciana exemplum numerat, quod legitur initio C. X.: *Aliquid praeterea — timide dico, sed tamen dicendum est; non enim opibus, non invidiosa gratia, non potentia vix ferenda, sed commemoratione beneficii, sed misericordia, sed precibus aliquid attulimus etiam nos.* Vult autem V. Cl., constructionem post *praeterea* abruptam expleri his: *aliquid a. e. nos:* cui sententiae minus equidem assentior, quod et verba epanalepsin, ut vult Ramshornius, continentia nimis sunt antecedentibus implicata, quum alias collocatione insigniri soleant (cf. Pla. 41, 98.; Br. 26, 101.; Or. 2, 90, 365.); et pronominis *aliquid* hoc modo vis quaedam efficitur, timiditati dicentis antea aperte commemoratae, quae etiam sono vocis significanda erat, parum conveniens. Quare malim locum illum pro anacolutho habere excusationem interiacentium admittente, orto autem inde, opinor, quod Noster timiditatem suam non potuit magis oratorie declarare quam ut aperta professione, se etiam aliquid attulisse, non perfecta, quasi rem absolvisset, nil nisi dicta defenderet.

Deinde ab anacoluthis, quippe in quibus nostra quidem definitione vel simplicis vel compositae enuntiationis integritas desideratur, segreganda sunt omnia illa pleonasmi exempla, quae congessit Matthiaeus in dissert. *De anacoluthis apud Ciceronem* inserta Anall. litt. a Wolfio editis V. II. p. 1—25. Refert enim ille p. 16. sqq. ad anacolutha et substantivum praecedens repetitum pronomine, et *is, ille, hic* post parenthesin denuo illata, quamquam *hic* vel aliud pronomen eius generis praecesserat; et hoc, quod post pronomen relativum ad praecedentia spectans, res, quo *qui* spectabat, vel pronomen demonstrativum additur: ad quod ultimum pleonasmi genus referendus non erat locus orationis pro C. Rabirio P. R. habitae, qui est C. III. § 10. *Quod utinam, Quirites, ego id* etc. Nam hoc *quod* est illud idem, quod etiam coniunctionibus *si, nisi, quia, quoniam* aliisque anteire solet quodque suspicer e *quod ad* contractum, ut significet: *cuius rei respectu habito* sive: *ad quam rem quod attinet.* Minime vero omnium in anacoluthis numerari debebat rhetorica *μερίσμον* figura, ex quo genere est locus Agr. II. 15. extr., a Matthiaeo praemissus his, qui modo citati sunt, pleonasmis. Illud enim schema ne est quidem pleonasmus, ut qui adiectione continetur notionis ei, cui adiicitur, necessario inclusae. Poterat rectius illis pleonasmis annumerari speciosa pronominum *is* et *ille* ante *quidem* abundantia, de qua v. A. Grotefend. in ampl. Gr. § 218. itemque particularum *ut* et *si* post interiecta quaedam iteratio. Cf. Ramsh. p. 1009.

Possunt etiam anacoluthi similitudinem efficere

ellipsis et breviloquentia, quae inter se ita discrepant, ut hac omittatur, quod e praecedentibus vel sequentibus intelligendum est; illa autem supprimat notionem, cuius in cohaerentibus nec facta est mentio neque est futura. Atque per ellipsin quidem orta videtur species quaedam eorum quos vocant absolutos, accusativorum; quum tota orationis forma anacoluthis minus apta apparet et analogia quaedam similiter dictorum ad manum habetur. Cuius generis haec duo esse putaverim ex Epp. ad Att. 2, 9, 1.; et 15, 3, 1.: *illum vero, qui nondum habitus est, quem illa βοῶπις, quum e Solonio redierit, ad te est relatura, sic velim putes, nihil hoc posse mihi esse iucundius*; et: *Nam illa, quae recordaris, Lentulo et Marcello consulibus acta in aede Apollinis, nec caussa eadem est nec simile tempus* etc.; et hoc ex l. de Div. 1, 18, 36.: *Quid? qui irridetur partus hic mulae, nonne — — — — praedictus est ab haruspicibus incredibilis partus malorum?* Tota horum locorum indoles locutionem: *quod attinet* supplendam arguere videtur; nec vero deest huius rei analogia, siquidem dictiones: *ceterum, cetera, reliqua, summum* aliaeque et ipsae ellipticam suam naturam non dissimulant.

Breviloquentia duplex est, quum omissa aut e praecedentibus aut e sequentibus peti debeant: quarum illa facilius ab anacoluthia dignoscitur, quia anacoluthon ex superioribus constructionis supplementum fieri non patitur: contra semper in sequentibus necesse est aliquid inveniatur, cuius rei auxilio mancam orationem ad integritatem perducere liceat: unde fit, ut interdum sit difficile admodum alteram

breviloquentiam a nostra figura satis probabiliter distinguere. Pertinet autem ad prius breviloquentiae genus, quod post *nego, nolo, nequeo, nescio* desunt opposita *aio, volo, queo, scio* (V. Ramsh. p. 985.); nempe quia haec praecedentis verbi notione inclusa latent. Quare non est anacoluthon locus a Matthiaeo allatus p. 14.: Fin. 21, 68.; nec minus huic iunctus: Off. 2, 24. in.: *Quam ob rem ne sit aes alienum, quod rei publicae noceat, providendum est, quod multis rationibus caveri potest; non, si fuerit, ut locupletes suum perdant, debitores lucrentur alienum*: ubi e verbo *providendi* petenda est communior in ipso latens *faciendi* notio. Ad eam brevitatis in dicendo speciem confirmandam placet praeter ea, quae posuit, Ramshornius l. c., haec quoque afferre Ciceronis exempla, quibus e *negandi* verbo *affirmandi* eliciendum est: Inv. 1, 50, 93.; Mur. 25. in; Acad. 2, 24, 76.; Att. 15, 1, 3. Ex antegresso *nescire scio* intelligendum videtur Tusc. 1, 15. in.: *Quae sit illa vis* (memoriae) *et unde sit, intelligendum puto. Non est certe nec cordis — — —; anima sit ignisne, nescio; nec me pudet, ut istos, fateri nescire, quod nesciam: illud, si ulla alia de re obscura affirmare possem, sive anima, sive ignis sit animus, eum iurarem esse divinum.* Verbi latiore significatu e verbo minus patente etsi non opposito assumendi exempla habemus et modo allatum Off. 2, 24. in. et N. D. 3, 7, 18., ubi ex angustiore *comparare* latius *dicendi* verbum adsciscendum est: *eodemque illa etiam differemus, quod Chrysippum dicere aiebas — — —: quaeque in domo pulchra cum pulchritudine*

mundi comparabas, et quum totius mundi convenientiam consensumque afferebas etc. Itaque cum Orellio non facio locum Tusc. 1, 48, 116. pro anacolutho habente, sed potius e definitiore *repetere* inclusum *afferre* petas. Verba autem haec sunt: *Repetunt ab Erechtheo, cuius etiam filiae cupide mortem expetiverunt pro vita civium: Codrum, qui* etc., verbo, quod accusativum regat, non sequente. Neque enim *repetendi* verbum eodem sensu cum accusativo construi, quo praepositionem *a* sequentem habet, ullum exemplum reperire mihi licuit. Item locum Fam. 2. 4. in. a Matth. p. 10. anacoluthis accensum breviloquentiae exemplum esse statuo: *Epistolarum genera multa esse non ignoras; sed unum illud certissimum, cuius caussa inventa res ipsa est, ut certiores faceremus* etc. Supplendum est enim ante *ut* participium *inventum*, cuius post tres voculas molesta fuisset repetitio. Non magis assentior Goerenzio, qui Fin. 4, 21. in. auctorem circumlocutione usurum leve anacoluthon admisisse iudicat, quum scriberet: *quaeque secundum naturam sint, partim nihil habere in sese eius appetitionis, de qua saepe iam diximus, quae nec honesta nec laudabilia dicantur: partim, quae voluptatem habeant in omni animante, sed in homine rationem etiam* etc. Minime vero; sed ex paullo ante posito *nihil habere* adsciscendum *habere*, eo facilius omissum, quod mox sequitur *habeant*; verba autem *quae — — — etiam* ita accipienda sunt, ut non meram circumlocutionem efficiant, sed aliquid addant, quo illa, quae secundum naturam sunt, accuratius etiam describuntur, quippe quae in

homine praeter illam appetitionem habeant rationem etiam. — P. 212. a Matthiaeo citatus locus ex Off. 1, 5, 15. habet ille quidem aliquam constructionis duritiam, sed nescio tamen an breviter dictis vindicari debeat: leguntur autem ibi haec: *Quae quatuor quamquam inter se colligata atque implicata sunt, tamen ex singulis certa officiorum genera nascuntur, vel ut ex ea parte, quae prima descripta est, in qua sapientiam et prudentiam ponimus, inest indagatio atque inventio veri* etc. Quo loco Beyerus, vir sagacissimus, *inest* eiiciendum putavit, e scriptura Oxf. 1.: *est* malam istius verbi fidem argumentans, sed aperte haec est facilioris cum difficiliore scripturae permutatio et probabilius videtur ad praepositionem *ex* e praecedente *nascuntur* participium *nata* cogitatione addere; neque enim pronomen *ei* ante *inest* omissum quemquam offenderit, siquidem nulla hic eius est vis atque gravitas. Etiam locus ab Heindorfio anacoluthis adscriptus N. D. 2, 46, 118. per hanc breviloquentiam explicandus est.

Ad alterum breviloquentiae genus, qua e sequentibus aliquid ad sententiae integritatem petimus, primum haec tria pertinere censeo, quae leguntur Tusc. 1, 30, 73.; Fin. 3, 3, 11.; Rep. 1, 26. extr.: quorum primum a Matthiaeo p. 25., alterum a Goerenzio ad h. l. pro anacoluthis habita sunt, tertium eodem jure habendum esset. Primus locus ita sonat: *Itaque commemorat* (Socrates), *ut cygni, qui non sine caussa Apollini dicati sint, sed quod ab eo divinationem habere videantur, qua praevidentes, quid in morte boni sit, cum cantu et voluptate moriantur: sic* etc. Hic verba: *cum moriantur* bis cogitanda sunt, quumque primariae sententiae absolutio caput rei sit, malim posita ad hanc spectare, supplenda autem ad subiectam sententiam, quam contra. Similiter plane habet tertius locus, quo et ipso ultima deinceps verba ad interiecta mente iterabis: *Nam vel rex aequus ac sapiens, vel delecti ac principes cives, vel ipse populus, quamquam id est minime probandum; tamen nullis interiectis iniquitatibus aut cupiditatibus, posse videtur aliquo esse non incerto statu.* Sequitur medius locus: *eos melius a natura institutos fuisse* (sentio), *quam institui potuissent a philosophia, si ullam aliam probavissent, praeter eam, quae nihil aliud in bonis habet nisi honestum: nihil nisi turpe in malis: ceterae philosophorum disciplinae omnino alia magis alia; sed tamen omnes, quae — — —, eas non modo nihil adiuvare arbitror neque affirmare* (?), *quo meliores simus, sed ipsam depravare naturam.* Ad h. l. Goerenzius haec annotat: „*Ortum anacoluthon inde est, quod auctor sibi ad verba:* „*ceterae — alia*“ „*nihil adiuvant*“ *cogitabat: sed cum haec altius reiiceret, oratio paullum deflexit, sic ut totam mutare nollet, imitatione vivi sermonis usus.*“ Atque supplenda quae essent, recte vidit V. D.; illud concedi arbitror, ut legitime possint suppleri: quod si est, nullum plane erit anacoluthon.

Huic eidem breviloquentiae attribuenda sunt, quae Matthiaeus p. 11. sq. in anacoluthorum numero habuit: Phil, 4, 4, 9.; Brut. 75, 262.; Off. 1. 23, 80.; Man. 5. in.; in quibus locis offertur numeri vel

generis speciosa enallage, atque numeri quidem in primo: *Quis illum igitur consulem nisi latrones putant?* Cf. Fam. 6, 18. extr: *Quare, ut arbitror, prius hic te nos quam istic tu nos videbis.* Ib. 6, 4, 3.: *etsi me ipsum, consolatorem tuum, non tantum litterae, quibus semper studui, quam longinquitas temporis mitigavit.* Est autem in Philippicae et in epistolarum exemplis positis commune primariae et secundariae enuntiationis verbum huic propterea accomodatum, ut ipsa potior ac gravior declaretur. Reliqua tria Matthiaei exempla generis permutationem exhibere videntur: *omni ornatu orationis tanquam veste detracta;* et: *Bellum autem ita suscipiatur, ut nil nisi pax quaesita videatur;* et: *Corinthum patres vestri, totius Graeciae lumen exstinctum esse voluerunt.* Sed apparet e positis participiis latius quid cogitatione petendum, cuius rei egregium exemplum medius locus praebet, quum nihil frequentius sit omissione verborum *agere, facere, fieri* post *nihil aliud, nihil amplius* et similia. Quare non erat, cur Matthiaeus miraretur, nihil Ernestium offendisse illum librorum de Officiis locum, quum tamen idem primi loci lectionem *detracta* ita ferri non posse putaret, ut, ne monito quidem lectore, *detracto* ederet. Quamquam quid facilius, quam hinc ducere verbi substantivi participium, quod ne poterat quidem adhiberi? Tertius locus sane est paullo singularior duobus prioribus, sed item per brevitatem sermonis explicandus, ita ut ad vocem *Corinthum* vulgarius quid, ut *eversam* cogitando addas: id quod maluit auctor, quam iungere *Corinthum exstinctam,* veritus

ne tum nimis poetam ageret. His omnibus a Matthiaeo antemissum exemplum Br. 59, 214. ad alterum breviloquentiae genus pertinet: *quamquam id quidem fuit etiam in aliis et magnis quidem oratoribus, quos parum his instructos artibus vidimus, ut Sulpicium, ut Antonium.* Repete tecum: *quos parum h. i. a. v.* Agmen claudit apud Matthiaeum locus Lgg. 1. 17. extr.: *animis omnes tenduntur insidiae vel ab iis, quos modo enumeravi, qui — — —, vel ab ea, quae penitus in omni sensu implicata insidet, imitatrix boni voluptas, malorum autem mater omnium etc.* At ne hic quidem quidquam anacoluthi adest; nihil enim ad sententiae integritatem desideratur, neque vero ab grammatica necesse erat, ut pronomen *ea* haberet substantivum sequens, sed substantive positum est, quod Cicero fecit concinnitatis caussa, quum etiam respondens *iis* ita esset adhibitum; verba autem *imitatrix — omnium* haud inepte immo etiam efficacius, quam si a pronomine correlativo penderent, relativi appositionem faciunt hoc quidem sensu: *imitans quidem bonum sub nomine voluptatis, sed mala omnia procreans.*

Iam his disputatis ad naturam anacoluthi grammatici accuratius perspiciendam hoc videtur posse intelligi, illam figuram cum breviloquentia quae dicitur, cui est omnium rerum simillima, ita esse comparandam, ut, quum utraque, logicam si spectas, suppleri aliquid iubeat, auctor alteram admittens expleri videatur voluisse, altera usus noluisse. Itaque fit breviloquentia nexu supplentium et supplendorum non obscurato, anacoluthon, quum animus legentis audientisve huiusque inprimis interiectorum

vel longitudiue vel ad similem eamque per se aptam structuram proclivitate a superioribus verbis abductus nil nisi sententiam perfici haud aegre patitur. Quam anacoluthi indolem quis neget tantum non contineri etiam Hermanni V. Cl. verbis, qui docet ad Vig. p. 894., attractioni oppositum esse anacoluthon; nam quemadmodum attractionis sit referendo quid simul ad duas partes unum efficere, ita anacoluthon versari in uno eas in partes distrahendo, quarum neutra, si leges grammaticas spectes, cum altera cohaereat. Sed quamquam saepe admodum ea est ratio anacoluthorum, ut illa, quae interiectis distracta fuerint, possint nil nisi forma mutata, incolumi partium numero, in unum rursus conflari: haud raro tamen anacoluthi sententia cum aliqua superiorum nunc ampliore nunc breviore resumtione absolvitur (cf. Tusc. 2, 1, 3.; 5, 22, 63.; Fin. 2, 10. in.): quod si est, nolim partes distracta illa vocare, quum partes sint ea alicuius rei membra, quae nec deminuta quoquam neque aucta unum quoddam efficiunt. Contra non possum non facere cum Bernhardyo, qui Doctrina Syntaxeos linguae Graecae p. 463. haec disputat: „*Wie nun die Synchysis, die künstliche Wortsperrung, zur Erreichung eines strengen und bedeutsamen Zusammenhanges als einen vermittelnden Gesichtspunkt das Hyperbaton anwendet, so bedient sich das Anakoluthon, die planmässige Abweichung von der grammatischen Ordnung, um eine periodische Verkettung von Wesentlichem und Unwesentlichem zu einem Guss zu bilden, der Attraktion, welche Nebenbegriffe in den Hauptbegriff unmerklich*

verschlingt, während die sonstigen Fälle von Attraktion im Prädikate und im pron. relativum nur einzelne Wörter bedingen. Illam tamen rariorem attractionem, quae est in vocativo, quale est illud Theocriteum: ὄλβιε κῶρε γένοιο, malim cum Hermanno ad Vig. p. 894. ad attractionem quam cum Bernhardyo p. 465. ad anacoluthiam referre; nam nihil plane interiecti adest, quo turbatam constructionem iudices; immo apparet, hanc esse meram praedicati attractionem non nisi ad singulas voces pertinentem, quam ab ipso viro docto aliam haberi atque anacoluthiam modo vidimus.

Iam si quaerimus, utrum sint anacolutha secundum caussas potius, unde oriuntur, an secundum varias ipsorum formas atque compositiones ordine distribuenda: ex harum magis varietate singula anacoluthorum genera constituenda censeas, quum et illa ratio singulorum hominum potius nitatur iudicio atque opinione sitque ob eam caussam incertior, nec hoc modo possint exempla classibus aeque accurate distingui: forma vero per se stat, ut res externa, et exactiorem longe partitionem admittit.

Est autem omnis enuntiatio aut simplex aut e duobus pluribusve membris composita, quod genus rursus est aut coordinativum aut subordinativum. Ac simplicis quidem enuntiati anacoluthia nomen habeat *absolutae*, altera *relativae*; cuius autem compositae enuntiationis membra ad se invicem spectantia erunt per se imperfecta et manca, ea et ipsa a nobis in absolutorum anacoluthorum numero habebuntur. Denique tres *relativae* anacoluthiae modi, ob eorum nimirum eminentiam, peculiare quoddam nomen

invenerunt: apodoseos, antitheseos, respondentis enumerationis omissiones, quas nomine appellant anantapodoti: ex quo genere nobis erunt omnes iustae ac legitimae apodoseos, antitheseos, enumerationis omissiones, sive adsit enuntiatio exspectationem concitatam sic satis explens, sive non; aliter enim nullus certus aliquis inveniatur finis, a quo inde formae illius imperium ditionemque pertinere dixeris. Ceterum notandum, veteribus quidem grammaticis non solum anacoluthicam verum etiam ellipticam illam post εἰ μὲν vel ἢν μὲν apodoseos omissionem isto nomine nuncupari, ut facit Greg. Cor. § 13., Ἀττικὸν vocans τὸ ἀνανταπόδοτον. Cf. Matth. Gr. Gr. § 617. a.

Sed haec hactenus: sequantur ea, in quae legendo incidimus, grammatica apud Ciceronem anacolutha, in relativis eo quidem ordine observato, quem secutus est Grotefendius, V. Cl., in pertractandis iunctis enuntiationibus: a quo numero excludentur nimirum ea, quae leguntur in libris de Oratore, exempla, utpote a nobis separatim edisserenda.

I. Anacolutha absoluta.

A). Casus pendentes seu vere absoluti.

a) Nomin. Rep. 2, 2, in.; Fin. 2, 33, 107.; Tusc. 1, 7, 14.; 4, 36. in.; 2, 6, 16.; Qu. fr. 1, 1, 23.; Br. 37, 140.; Verr. I. 18. in.; 3, 71. in.; Sext. 26, 57.; Mil. 27. s. f.

b) Dat. Fam. 12, 29. in. Cf. Off. 1, 21, 72. (Modi enallage).

c) Acc. Fin. 2, 10. in.; 3, 12, 41.; Tusc. 1, 24. in.; 2, 16. in.; 5, 22, 63.; Provv. Coss. 4. in.; Planc. 10. in.; Pis. 4. in. Cf. Flacc. 26, 63. (Modi enallage).

d) Ablativi absoluti pendentes. Fin. 2, 12, 37.; *ex quo* pendens. Off. 1, 7, 23.

B). Verbum pendens.

Off. 3, 26. in. (Subiectum om.); Tusc. 5, 19. in. (Obiectum om.).

C). Particulae pendentes.

a) *ut* dass. Tusc. 4, 35, 75.; 5, 29. in.; 5, 24, 69.; Off. 3, 10, 45. (Orell. †); Verr. 4, 15. in. (Orell. habet Coniunctivum).
ut wie. Inv. 2, 19, 58.

b) *quin*. Tusc. 5, 15, 45.

c) *si*. Rep. 1, 37.; Tusc. 2, 1, 3.

d) *quoniam*. Off. 1, 7, 22.

e) *vel*. Tusc. 4, 24, 53.

f) *aut*. Fin. 5, 10, 28.

D). Subiectum appositi pendens.

Tusc. 1, 36, 88.; Fam. 5, 2, 9.; Verr. 2, 65, 158.; Catil. 3, 9, 20.

II. Anacolutha relativa.

A). Coordinativa.

a) copulativa: *Et* correlativum semel positum. Rep. 1, 3, 5.; Or. 19, 62.; 57, 192.; Div. 1, 20, 40.; Fin. 1, 12, 40.; Pis. 34. in.; L. Man.

7, 17. 18. (*et — deinde*); Rep. 2, 23, 43. (alterum *et* relativum).

Primum non sequente *deinde* (Anantapodoton): Br. 95. in.; Flacc. 4. in.; Planc. 12. in.; Off. 1, 14, 44. (*primum — autem*); Phil. 5, 15. extr. (*primum — nec vero*); cf. Off. 1, 4. in. (*principio — autem*).

Unus respondente pronomine *alter* non ad idem caput relato. Off. 1, 6,18. 19.; 1, 10. in.

Alius correlativo aliter constructo. Tusc. 3, 26, 63.

Alter correlativo omisso. Fin. 3, 21, 72. (22.) 73.

Partim constructione alterius *partim* mutata. Fin. 2, 33, 109.

Sive — si vero. Acad. 1, 2, 7.

Vel constructione alterius mutata. Tusc. 2, 27, 67.

b) adversativa (Anantt.): Verr. 5, 43, 112. (*verum* aliter constructum quam *non solum*); Off. 1, 40. in.; 70. in. (*si aut — aut si*): Rep. 2, 8.; Fragmm. p. 486. m. ed. Orell.

B). Subordinativa.

a) attributiva: Balb. 14. in.; Anantapodota: Off. 1, 1, 1.; 2, 10, 37.; Acad. 2, 15, 47.; 2, 22, 71.; Tusc. 1, 13, 30. (*ut — quis igitur*); 1, 28. in.; 3, 8. in.; Par. 6, 2, 46.; Qu. fr. 1, 2, 3.; Br. 27, 105.; Or. 14, 45.

b) obiectiva: Fam. 2, 19, 1.; Anantapodota: N. D. 2, 18, 47.; 2, 37. extr.; Div. 2, 14, 33.; Tusc. 3, 17. in.; 2, 7. in.; 4, 34, 72.; Mil. 28, 76.; Fragmm. p. 470. inf.

His cumulus addatur anacoluthorum, quae ab interpretibus sic nominata ad rhetorica nobis pertinere videntur.

Fin. 1, 13, 45, 46.; 2, 34, 115.; 3, 15, 51.; Off. 1, 2, 6.; 1, 3, 8.; 1, 5, 16.; 1, 5, 17.; 2, 6, 21.; Att. 12, 18, a., 2.; Clu. 45. extr.; Catil. 2, 10, 21.

Accedamus iam ad ea anacoluthiae exempla, quae in Ciceronis libris de Oratore vel insunt vel inesse sunt credita, quorum primum locum tenet hoc:

I. 1, 2, 5. *Vis enim, ut mihi saepe dixisti, quoniam, quae pueris aut adolescentulis nobis ex commentariolis nostris inchoata ac rudia exciderunt, vix hac aetate digna et hoc usu, quem ex caussis, quas diximus, tot tantisque consecuti sumus; aliquid iisdem de rebus politius a nobis perfectiusque proferri: solesque nonnunquam hac de re a me in disputationibus nostris dissentire, quod ego* etc. Haec est lectio omnium codicum, quorum quidem scriptura nobis innotuit, praeter O1x., qui omittit *quae*: item Iunt., Crat., Man., Ern., Muell., Orell., Heinrichsenianae. Maioragius, Victor., Talae., Lamb. ediderunt *quaedam* pro *quae*. Schuetz., quem secutus est Harless., coniectura dedit: *vix hac sint aet. d.* Iam in ea lectione, cui est extrinsecus plurimum auctoritatis, apparet haec difficultas, quod *quoniam* sic non habet verbum, quo referatur: quam difficultatem Orellius removere conatus est, statuens hic esse anacoluthon. Sed periodus rite

procedit, quod inde maxime perspicitur, quod verbum *velle* a pendentibus magis etiam distans, quam a verbo suo distaret *quoniam*, nihilo tamen secius illa habet obnoxia. Neque enim tam longa adest interiecta sententia, quae faciat, ut initio dicta oblitus sis; nec talis, quae sua vi et natura verbum ad se trahere valeat; nam verbum *excidere* ut neutrum enuntiationem regere non potest. Quare id unum relinquitur, ut excidisse aliquid statuamus, quod nec Maioragius eumque secuti nec Schuetzius nescio an recte suppleverint; nam *quaedam* si legimus, est sane levis ac futilis optandi caussa, velle propterea solum aliquid ab aliquo fieri, quod illud iam semel sed minus probabiliter ab ipso coeptum sit agi. Quomodo autem post *hac* in omnibus libris *sint* omitti potuerit, parum intelligitur. Itaque legendum coniiciam *quoniamque*, ita explicandum, ut copulativa particula referatur ad alias quasdam caussas, quibus motus Quintus hanc rem a fratre retractatam volebat, ut quia hanc eloquentiae artem ad discendum utilissimam iudicabat, nec tamen fortasse eorum, qui habebantur hac de re, libellorum ullus ei satis probabatur; quo accedebat, quod nemo ei ad hoc munus suscipiendum aptior videri poterat Romanae eloquentiae principe. Ita *que* non nisi unam e pluribus eamque auctoris modestiae maxime convenientem rationem indicet, quum reliquae verbis *ut mihi saepe dixisti* contineantur, quippe non de sola quadam voluntatis significatione, verum quae argumentis niteretur, accipiendis. Offendere autem potuisse librarios in hoc particulae usu, facile per se intelligitur.

II. 1, 3, 12. *Quod hoc etiam mirabilius debet videri, quia ceterarum artium studia fere reconditis atque abditis e fontibus hauriuntur, dicendi autem omnis ratio in medio posita, communi quodam in usu atque in hominum more et sermone versatur; ut in ceteris id maxime excellat, quod longissime sit ab imperitorum intelligentia sensuque disiunctum, in dicendo autem vitium vel maximum est a vulgari genere orationis atque a consuetudine communis sensus abhorrere.* Sic ex iudicio Henrichsenii, optime de critico horum librorum apparatu merito duobusque codicibus ad edendos ipsos separatim usi: Z (O 2 x, codex antiquior omniumque codicum fortasse optimus), γ, δ, ε (O 5 x, O 6 x, O 7 x), Guelf. A, Erfurt., fortasse Erlang. uterque, edd. antiquissimae. *Sit* post *maximum* habent: Havn. uterque (ab Henr. collatus), Norfolc., α, β (O x x. 3. 4.), C. Iul. Victor in arte rhetorica a Maio edita (Iur. civ. anteiust reliqq. Romae 1823.) p. 80., et sic vulgo inde ab Aldo usque ad Muellerum. Apparet, indicativum a libris mss. et editionibus praeferendum esse coniunctivo, quem sprevit Orellius, recepit Henrichsen., censens, anacoluthon, nulla interposita sententia, non posse defendi; quocum facit Madvigius in Emendatt. in Cic. Lgg. et Acadd. p. 52., dicens: *ubi* (loco nostro) *tamen nollem defensum* est *pro* sit, *quod boni codices dant; omninoque quum in hoc genere* (sententiae secundariae, reliquis interiiciendaee, sed una serie cum primaria coniunctae) *sententiae vis, omissis coniunctionibus, in tota orationis forma perspiciatur, in hac re accuratus fuisse Cicero*

putandus est. At vero, quum ad lectionem aliquam iudicandam tria adhiberi debeant: librorum auctoritas, scriptoris consilium, exemplorum, si potest, copia: primum indicativo favere quis non videt? Consilium autem Nostri quod attinet, is aperte negligentiam illam vivi sermonis assequi studuit, qua quum alias tum vero in adversative iungendis praecedentium formam minus respicimus (v. supra p. 2.): cui rationi hanc fortasse adiungere possumus, quod auctor hoc modo verba: *in dicendo autem* etc. a particula *quod* non pendere magis etiam perspicuum reddere voluit. Quo modo autem hoc anacoluthon ferri potuerit, non miraberis, cogitans, ad sensum quidem *ut* h. l. idem esse quod *quare*, quam ipsam vel cuius similem voculam scriptor animo in locum alterius substituens, ita perrexit, ac si hanc ab initio posuisset. Atque quum haec constructionis mutatio neque ex longitudine interiectorum neque attractione profecta sit, locus noster ad ea nobis trahendus erit anacolutha, quae supra a grammaticis distinximus rhetorica, cuius generis est similis quoque nostro locus Off. 1, 3, 8: *Atque ea sic definiunt, ut rectum quod sit, id officium perfectum esse definiant: medium autem id esse dicunt, quod* etc. Quae quum ita sint, Madvigii nostrae lectioni adversantis ratio eo minus contra ipsam valere potest, quod membrum anacoluthicum ab ea sententia, quam proprie reliquis interiici oportebat, haud avulsum cohaeret cum antecedentibus eodem, quo priusmembrum, nexu effectivo.

III. 1, 12, 53. *Quae nisi qui naturas hominum vimque omnem humanitatis caussasque eas, quibus mentes aut incitantur aut reflectuntur,*

penitus perspexerit, dicendo quod volet perficere non poterit. Sic omnes edd. et vulgo inde ab antiquissimis edd.: Lamb. Ern. Sch. Muell. ex Passerat. coni. *quare.* Matthiaeus in Seebod. Misce. Critt. I. p. 676. idemque Wolf. Ann. p. 17. sq., quocum facit Orell. ad h. l. nec non Henrichs., anacoluthon hic statuit, ut post longius circumductam orationem *quod volet* per redundantiam quandam Noster addiderit. Sed fateor, nullam me plane huius anacoluthi caussam perspicere, quum illius repetitionis nec interiectorum natura ansam ullam praebeat, quippe quae nulla parenthesi interrupta rite procedant; nec vero rhetorica aliqua vis illa redundantia efficiatur: quorum hoc frequentius est, quam ut exemplo sit opus, alterum cadit in exemplum nostro loco affine, quod miror Matthiaeum omisisse ad probandam suam sententiam; locum dico: Fin. 3, 12, 41.: *His igitur ita positis, inquit, sequitur magna contentio, quam tractatam a Peripateticis mollius (est enim eorum consuetudo dicendi non satis acuta propter ignorationem dialecticae) Carneades tuus egregia quadam exercitatione in summum discrimen adduxit etc.* Quae vero Matthiaeus ex his ipsis libris de Oratore pro se affert exempla duo, nihil ipsius caussam adiuvant; sunt enim haec: 1, 17, 75.: *Haec quum ego praetor Rhodum venissem et cum summo illo doctore istius disciplinae Apollonio ea, quae a Panaetio acceperam, contulissem, irrisit ille quidem, ut solebat, philosophiam atque contempsit* etc.; et 37, 169.: *Quid ergo hoc fieri turpius aut dici potest, quam eum, qui — — —, ita labi* etc. Nam priore

quidem loco; ne dicam de forma enuntiationis minime implicata, sensus etiam obstat, quominus anacoluthon esse velimus; si enim *haec*, ut fecit Matth., *oratori abs te tradita* i. e. *philosophiam* explicamus, male hoc congruit cum eo, quod Crassus cum Apollonio ait contulisse ea, quae a Panaetio accepisset; quia sane mira haec esset circumlocutio pro simplice *ea* vel *ipsa*. Sin vero cum Henrichsen. *haec* interpretamur *ea, quae a philosophis dicebantur,* durum hoc est atque rursus illarum ambagum caussa nulla perspicitur. Quare huic loco corruptelae aliquid insidere arbitror eiusque vestigia latere in ea lectione, quam exhibent uterq. Memm., Palatt., Pithoe., U, Z, Erlang. uterque., Erf., qui habent *quae:* quam scripturam e vera *quod* ita ortam puto, ut librarii in dictione *quod quum*, ut ipsis videbatur, inepta offendentes, quum particulam pro ipso relativo haberent, numeri formam praecedentibus accommodarent. Exempla autem locutionis *quod quum* etsi nostro loco non plane respondentia habes Off. 2, 8, 29.; et, 3, 31, 112.; nam loci Fin. 4, 8, 19., quem Ramshorn. et ipsum hoc nomine citat p. 912., alia prorsus est ratio. Ceterum nostro loco *quod*, de cuius hoc usu iam supra est disputatum, significaret *ad quod, qua in re* seu *controversia*.

Alterum in hunc finem a Matth. laudatum exemplum frequentem continet apud optimos utriusque linguae scriptores loquendi rationem, quam qui illustraverint, magnum videre licet numerum apud Faesium diligenter in hanc rem inquirentem *Disquisitione grammatica de pleonasmo qui perhibetur particulae ἤ post comparativum.* Seeb. Misc. Crr. II. p. 697. sqq. Est autem haec illa eadem speciosa abundantia et tautologia, quam supra ab anacolutho quippe defectum aliquem prodente separandam censuimus; praemittitur autem pronomen demonstrativum, quo magis lectores attenti reddantur ad ea, quae deinde dicentur. Exempla alia huius pleonastici *quam* apud Nostrum leguntur Fin. 1, 6, 19. et N. D. 1, 15, 38., ubi cf. Heind. Similiter redundat *eius* infra 23, 105., positum propter hyperbaton et longam interpositionem simulque significans *talis, tanti*; *haec*, ib. 109.; *hunc* 37, 169.: ex quibus duobus illud, quamquam *ea* modo praecessit, tamen usurpatur, ut certius cognoscatur, quae ad partem demonstrativam enuntiationis, quae ad relativam pertineant. Altero loco inter *eum* et repetens *hunc* intercedit haec ratio, ut priore demonstrativo animus lectoris iam ante dicenda ad ea erigatur; sequente, quae vix pluribus sunt exposita, in unum comprehendantur atque ita efficacius etiam ad sensum legentis accommodentur. Sed haec sufficiant de re extra huius scriptionis fines posita, quam quidem separatim atque accuratius explorare quin futurum sit operae pretium, nullus equidem dubito.

Iam si ad locum, quem proprie tractandum nobis proposueramus, revertimur: videmus eum nec natura sua neque exemplorum similitudine anacoluthiam probare, atque suspicandi locus est, corruptam esse librorum auctoritatem, in qua expiscanda depravatione succurrit nobis locus nostri libri 17, 75. paullo ante tractatus, ubi corruptelam in plurali *quae* deprehendere nobis visi sumus. Idem plane hic quoque accidisse existimo, ut ignoratione dicti-

onis *quod nisi* scribae numerum relativi antegressis aptandum censerent. Exempla huius locutionis habentur praeterea infra 2, 55, 224.; Tusc. 4, 16. extr.; Verr. 2, 26. extr.; Mil. 6, 15.

IV. 1, 17, 75. *Haec quum ego* etc. V. supra p. 25. sq.

V. 1, 19, 86. *Quodsi tantam vim rerum maximarum arte sua rhetorici illi doctores complecterentur: quaerebat, cur de prooemiis et de epilogis — — — referti essent eorum libri* etc. Hunc locum Matth. in Diss. de ann. p. 24. in anacoluthis commemorat, ei comparans 23, 108.: *Nam si ars ita definitur, ut paullo ante exposuit Antonius, ex rebus penitus perspectis planeque cognitis* etc. Sed est haec breviloquentia, quam supra diximus, non anacoluthia, quia ista adeo arcte cohaerent, ut auctorem statim ab initio non aliam, sed hanc unam construendi viam secuturum fuisse existimes. Quid autem facilius quam in priore exemplo vocis *praeceptis* similisve vocabuli omissio, quum *de* per se ipsum ostendat satis, prooemia et epilogos non esse ipsam librorum illorum materiam, sed obiectum remotius, obiecti loco propiori ipsi inserviens. Caussa vero, cur Noster hic participium *referti* insolentius paullo construeret, aperte fuit orationis concinnitas; nam quum duos ablativos diverse referendos auctor deinceps ponere nollet, symmetriam membrorum adversative sibi iunctorum turbasset, si in prioris fronte notionem collocasset alienam plane ab ea, unde alterum membrum incipit.

Altero loco *efficiendi* atque *colligendi* vis, quae est *definiendi* verbo inclusa, praepositionis *ex* patro-

cinium sustinet: cuius in dicendo brevitatis ansam hic dedisse videtur, quod Crassus, ut fieri solet, Antonii verba (20, 92.) significare magis quam repetere volens, ob id ipsum fingi commode poterat paullo praefractius eloquens. Similis locus quum huic tum vero prius commemorato legitur Off. 1, 37. s. f.: *neque enim omnes eisdem de rebus nec omni tempore nec similiter delectamur*, i. e. eisdem de rebus colloquendo delectamur. Cf. etiam supra p. 12.

VI. 1, 20, 91.: *in quibus etiam (sive ille irridens sive quod ita putaret atque ita audisset) me in illo numero, qui — — — —, proferebat.* Anacoluthon ob parenthesin a scriptore admissum, ne dialogi formam imitans inveniatur grammaticae regularum putidus paene assecla. Ceterum animadvertendum, alterum in mox sequentibus anacoluthon, illud quidem levissimum, inde exsistere, quod propter interpositorum longitudinem anteeunti *primum* non *deinde*, sed *vero* subiungitur: quae est species anantapodoti. V. supra p. 20. s.

VII. 1, 23, 105.: *sed ex homine — — — —, eius sententiam sciscitantur.* V. supra p. 27.

VIII. 1, 23, 108. *Nam si ars* etc. V. supra p. 28.

IX. 1, 23, 109. *Sin autem ea, quae — — —, haec* etc. V. supra p. 27.

X. 1, 24, 111.: *quamquam moderabor ipse, ne ut quidam magister atque artifex, sed quasi unus e togatorum numero atque ex forensi usu homo mediocris neque omnino rudis, videar non ipse a me aliquid promisisse sed fortuito in ser-*

monem vestrum incidisse. Quum pluribus interpositis negativa particulae *ne* potestas paene obruta, certe infracta esset atque debilitata, auctor, quo magis oppositio duorum ultimorum membrorum patefieret, simplicem negationem ante prius repetiit, non *ne*, quippe quum effectiva indoles per totam enuntiationem plane non obscurata esset. Nimis artificiose neque ita, ut scribentis ratio facile perspiciatur, Henrichs. hoc anacoluthiae genus ita solvit et explicat: *ne ut quidam — sed quasi unus — videar dicere, atque ut videar, non ipse — sed fortuito* etc. Orellius *non* excusari ait praecedente *sed — rudis*, cuius oppositionem faciat; quam quidem excusationem fateor me non satis intelligere, videtur tamen vir doctus hoc voluisse, Crassum ipsum a se aliquid promittentem opponi Crasso quasi uni e togatorum numero etc. promittenti: at Crassus quasi unus e togatorum numero nihil *promittit,* sed *fortuito in sermonem incidit*; atque etiam verba: *non ipse a me* hoc modo languerent admodum. Quod et Orellius et Henrichsenius *non* Matthiaeo suspectum vel delendum videri dicunt, adnotandum erat, hoc fieri in eius programmate 1809. edito *de anacoluthis in Cicerone*; nam in dissertatione Wolfii Analectis inserta Matthiaeus sine ulla dubitatione locum nostrum anacoluthon esse existimat.

XI. 1, 27, 128.: *has caussas inveniebam duas: unam, quod intelligerent ii, quos — docuisset, nonnunquam — procedere: ita non iniuria, quotiescunque dicerent, id, quod —, ne tum accideret timere.* Iam sequi debebat: *alteram, quod ceterarum homines artium — putantur,* sed quia verbum accusativum *unam* regens adsperso Antonii de probabilitate istius oratorum timiditatis iudicio parum iam valere videbatur, altera sententia non aliunde pendens constituitur atque oratio ita pergit: *Altera est* etc. Cf. Or. 2, 27, 116.; 72, 294. 295.; Off. 1, 6, 18. 19.; 20. in.; Fin. 3, 21, 72. (c. 22.) 73.

XII. 1, 29, 133. *Nunc enim te iam exoremus necesse est, quoniam retines nos in hoc studio nec ad aliam dimittis artem, ut nobis explices, quidquid est istud, quod tu in dicendo potes; neque enim sumus nimis avidi: ista tua mediocri eloquentia contenti sumus, idque ex te quaerimus (ut ne plus nos assequamur, quam quantulum tu in dicendo assecutus es), quoniam, quae a natura expetenda sunt, ea dicis non nimis deesse nobis, quid praeterea esse assumendum putes?* Proprie quidem ac legitime sententia sic exire debebat: *ut nobis explices, quidquid — contenti sumus, quid praeter ea, quae a. n. exp. sunt, esse assumendum putes?* Sed propter interiectorum *quidquid — sumus* multitudinem is, qui verba facit, inchoatae sententiae adeo prorsus oblitus videtur, ut non solum mutatis plane verbis sensum superiorum repetat, sed etiam ita, ut quibus illa continuantur, haec ipsis ne subiici quidem possint. Nam hoc si esset, epanalepsin agnoceremus, sed huic admittendae et obstat repetitorum collocatio, quippe cum interiectis hoc modo cohaerentium, ut nihil prorsus emineant; et inest in continuantibus notio non nisi repetitis conveniens, nempe pluribus exponenda, si scriptor continuantia etiam ex superioribus apta esse voluisset; est enim illud *praeterea* idem quod *praeter ea, quae a natura expetenda sunt,* cf. Tusc. 5, 29. in.

monem vestrum incidisse. Quum pluribus interpositis negativa particulae *ne* potestas paene obruta, certe infracta esset atque debilitata, auctor, quo magis oppositio duorum ultimorum membrorum patefieret, simplicem negationem ante prius repetiit, non *ne*, quippe quum effectiva indoles per totam enuntiationem plane non obscurata esset. Nimis artificiose neque ita, ut scribentis ratio facile perspiciatur, Henrichs. hoc anacoluthiae genus ita solvit et explicat: *ne ut quidam — sed quasi unus — videar dicere, atque ut videar, non ipse — sed fortuito* etc. Orellius *non* excusari ait praecedente *sed — rudis*, cuius oppositionem faciat; quam quidem excusationem fateor me non satis intelligere, videtur tamen vir doctus hoc voluisse, Crassum ipsum a se aliquid promittentem opponi Crasso quasi uni e togatorum numero etc. promittenti: at Crassus quasi unus e togatorum numero nihil *promittit*, sed *fortuito in sermonem incidit*; atque etiam verba: *non ipse a me* hoc modo languerent admodum. Quod et Orellius et Henrichsenius *non* Matthiaeo suspectum vel delendum videri dicunt, adnotandum erat, hoc fieri in eius programmate 1809. edito *de anacoluthis in Cicerone*; nam in dissertatione Wolfii Analectis inserta Matthiaeus sine ulla dubitatione locum nostrum anacoluthon esse existimat.

XI. 1, 27, 128.: *has caussas inveniebam duas: unam, quod intelligerent ii, quos — docuisset, nonnunquam — procedere: ita non iniuria, quotiescunque dicerent, id, quod —, ne tum accideret timere.* Iam sequi debebat: *alteram, quod ceterarum homines artium — putantur*, sed quia verbum accusativum *unam* regens adsperso Antonii de probabilitate istius oratorum timiditatis iudicio parum iam valere videbatur, altera sententia non aliunde pendens constituitur atque oratio ita pergit: *Altera est* etc. Cf. Or. 2, 27, 116.; 72, 294. 295.; Off. 1, 6, 18. 19.; 20. in.; Fin. 3, 21, 72. (c. 22.) 73.

XII. 1, 29, 133. *Nunc enim te iam exoremus necesse est, quoniam retines nos in hoc studio nec ad aliam dimittis artem, ut nobis explices, quidquid est istud, quod tu in dicendo potes; neque enim sumus nimis avidi: ista tua mediocri eloquentia contenti sumus, idque ex te quaerimus (ut ne plus nos assequamur, quam quantulum tu in dicendo assecutus es), quoniam, quae a natura expetenda sunt, ea dicis non nimis deesse nobis, quid praeterea esse assumendum putes?* Proprie quidem ac legitime sententia sic exire debebat: *ut nobis explices, quidquid — contenti sumus, quid praeter ea, quae a. n. exp. sunt, esse assumendum putes?* Sed propter interiectorum *quidquid — sumus* multitudinem is, qui verba facit, inchoatae sententiae adeo prorsus oblitus videtur, ut non solum mutatis plane verbis sensum superiorum repetat, sed etiam ita, ut quibus illa continuantur, haec ipsis ne subiici quidem possint. Nam hoc si esset, epanalepsin agnoceremus, sed huic admittendae et obstat repetitorum collocatio, quippe cum interiectis hoc modo cohaerentium, ut nihil prorsus emineant; et inest in continuantibus notio non nisi repetitis conveniens, nempe pluribus exponenda, si scriptor continuantia etiam ex superioribus apta esse voluisset; est enim illud *praeterea* idem quod *praeter ea, quae a natura expetenda sunt*, cf. Tusc. 5, 29. in.

XIII. 1, 32; 146. *Verum ego hanc vim intelligo esse in praeceptis omnibus, non ut ea secuti oratores eloquentiae laudem sint adepti, sed, quae sua sponte homines eloquentes facerent, ea quosdam observasse atque digessisse* (Gesn. et Schuetz. c.) etc. Haec Matthiaeus *De anacc.* p. 25. brevius dicta vult pro: *hanc v. intelligo esse in praeceptis o., non ut ea secuti eloquentiae laudem adipiscamur; intelligo enim non ea secutos oratores eloquentiae laudem esse adeptos, sed — observasse atque digessisse.* Ac secundum hanc quidem explicandi rationem sane locus hic esset anacoluthon idque rhetoricum; nam sic caussa nulla in intextis posita membrum adversativum negativo *non — adepti* respondens abesset (V. supra p.2.): sed minus artificiosa ac contorta explicatio ea fuerit, qua *vim* duplice sensu interpretandum sumimus, ut ad priora: *non — adepti* voculam illam sensu *caussae efficientis* referas, ad posteriora autem pro *notione* vel *significatu* adhibitam explices. Ita vero non haec erit duarum constructionum confusio anacoluthica, sed legitima earum ad unum idemque caput relatio.

XIV. 1, 37, 169. *Quid ergo hoc fieri turpius* etc. V. supra p. 25. sq. et p. 24.

XV. 1, 40, 180. *Quid? quod usu memoria patrum venit, ut paterfamilias, qui ex Hispania Romam venisset, quum — reliquisset, — remisissset mortuusque esset intestato, et — esset: mediocrisne res in controversiam adducta est?* Sic cdd. nihil variantes, Orell., Henrichsen.,

cui tamen in constructione vitium inesse videtur. Sed *ut* pendet, propter adiectorum coacervationem e loquentis memoria elapsum. V. supra p. 19. C. a. Atque eodem modo nostri operis 2, 6, 23. *ut* pendere volunt Matth. W. Ann. p. 20., Gernh. et Beyer. ad Off. 3, 10, 45., quum istic plerorumque cdd. haec sit lectio: *Sic enim se res habet, ut, quemadmodum volucres videmus procreationis atque utilitatis suae caussa fingere et construere nidos, easdem autem, quum aliquid effecerint, levandi laboris sui caussa passim ac libere solutas opere volitare, sic nostri animi forensibus negotiis atque urbano opere defessi gestiunt ac volitare cupiunt vacui cura ac labore.* Sed quum in praeeunte exemplo iisque, quae huic comparari iussimus, verbum a coniunctione eiusmodi interpositis diremtum sit, quae etsi non parentheseos signis includenda prae se tamen ferunt indolem suam parentheticam, quippe quae incolumi sententia possint omitti, qualia sunt saepe per *quum, quoniam, si, nisi* leviter annexa: nostro loco nihil non ad plenam efficiendam sententiam necessarium invenitur: nam quominus imaginem forte appictam statuamus, obstant quum gravius sonans *quemadmodum* et *sic* comparata in mentem audientium revocans, tum id quod etiam in apodosi similitudo illa ex parte servatur, quia et *gestire* (v. Forc. h. v.) et *volitare* magis proprie de avibus quam de hominibus usurpantur. Quae quum ita sint, quaeritur, utrum delendo *ut* an legendo *gestiant* et *cupiant* concinnitas huic loco restituenda sit. Ac mihi quidem hic restituendi modus magis placet altero, quia unde librarii illud

ut assumserint, vix dicas, longe autem remotum facile eos oblivisci potuisse haud negabis. Dictionis: *sic se res habet* sequente *ut* Wyttenbach. Bibl. crit. I. p. 18. exempla affert e Nostro N. D. 3, 37, 89.; Fin. 2, 32, 105.; similis formulae: *est, ut dicis*, sequente *ut*: Or. 2, 36. in.; commodissime vero V. Cl. locum huic, de quo agimus, geminum attulit ex horum librorum 3, 52, 200.: *Tum denique nobis hic orator ita conformandus est et verbis et sententiis, ut, quemadmodum qui utuntur armis aut palaestra, non solum sibi vitandi aut feriendi rationem esse habendam putant, sed etiam, ut cum venustate moveantur: sic verbis quidem ad aptam compositionem et decentiam, sententiis vero ad gravitatem orationis utatur.*

XVI. 1, 49, 214. *Crassus vero mihi noster visus est oratoris facultatem non illius artis terminis, sed ingenii sui finibus immensis paene describere. Nam et civitatum regendarum oratori gubernacula sententia sua tradidit* etc. Recte Matthiaeus ad h. l. in Seeb. Miscell. critt. I. p. 677.: *voluerat addere*: et philosophiam. *Sed quum ad priora refutanda abripi se passus esset, illa verba hic omisit et ad quaestionem de philosophia cap. 51. demum transit. Sic* 50, 217. *post*: et quos — fecerit *addendum erat*: et philosophi iidem essent geometrae ac musici (potius: et phil. iidem geometrae aut musici), *quod nunc alia orationis forma usus adiicit.* Est vero hoc rhetoricum anacoluthon in hunc finem a scriptore admissum, ut forma quoque distincta atque insignita essent, quae insulsitate et insolentia praecedentibus etiam antecellunt:

qua re sermoni vigor atque alacritas quaedam adspergitur. Porro Matthiaeus conferri iubet 2, 11, 48.: *Nam et testimonium saepe dicendum est* etc., ubi sequi debebat *et mandata exponenda*: sed exemplo illius rei pluribus exposito atque eo, quod spectatur, ab hac parte demonstrato, quum iam illud *et* e mente exciderit, Antonius capitis sequentis initio sic pergit: *Quid? si mandata sint exponenda* etc. Denique comparandus est locus 2, 78, 319., ubi Orellius ita habet: *Sic et facile reperientur* (principia); *sumentur enim ex iis rebus, quae erunt uberrimae vel in argumentis vel in iis partibus, ad quas dixi degredi saepe oportere: ita et momenti aliquid afferent, quum erunt — deprompta, et apparebit* etc. Sed *sumetur* exhibent Havn. B., Vet. Steph., Guelff. A. B. C., Erl., edd. antiquiss.; *reperietur* omnes cdd. et vulgo edd. ante Schuetz. Ita singularis numerus utroque loco retinendus videtur, *sumentur* vero inde ortum, quod scribae vel editores putabant, apte hic transitum fieri ad sequentem pluralem *afferent*, quia e *rebus* non *principium* sed *principia* arcesserentur. Atque sic quidem post parenthesin sententia de integro instituta est, quam tamen orationis conformationem duriusculam esse non nego.

Similiter plane alterum *vel* omissum deprehenditur 3, 18, 65. in his: *Sed utrumque est in his, quod — abhorreat, vel quod omnes, qui sapientes non sint, servos, latrones, hostes, insanos esse dicunt, neque tamen quemquam esse sapientem.* Iam longiore interpositione, quam parum hoc oratorem deceat, pluribus exponitur, quod ubi fecit,

Noster ita pergit: *Accedit, quod orationis etiam genus* etc., quibus in verbis sensu inest respondens particula. Duo enim sunt, quae Crassus in Stoicis reprehendit: cogitata eorum et verba.

XVII. 1, 50, 217. *Nam si quisque, ut in aliqua arte et facultate excellens aliam quoque artem sibi assumserit, ita perficiet, ut* etc. Sic omnes post Lambin.: sed omnes cdd. praeter Havn. A, qui omittit *ita*; cdd. deinde vett., quarum Waldarfer. *iis perf.*, Lips. Thanneri *id perf.* exhibent; Iu. Crat. Man. praebent *is*: quae lectio defenditur his similibus: Clu. 71, 202.: *qui, ut quisque crudelissime oppugnatur, cum lenissime sublevatis* etc.; Fam. 10, 22, 2.: *si consultus senatus esset, ut quisque honorificentissimam de te sententiam dixisset, eam secutus essem* etc. Cf. etiam Off. 1, 5, 16., ubi tamen propter interveniens aliud pronomen *quique* constructionis genus mutatum esse dixeris: nostra vero loquendi ratio ne rhetoricum quidem anacoluthon vocanda est, sed nil nisi ellipsin correlativi *ita* indicat, cuius utpote primum locum notio maximopere distinguenda occupat, quam non aliam esse debere nisi pronomen demonstrativum etsi in his exemplis longe frequentius, refellit locus Fin. 5, 20, 57.: *Itaque, ut quisque optime natus institutusque est, esse omnino nolit in vita, si* etc. Hic et particula correlativa et pronomen demonstrativum graviori verbo cesserunt. Ceterum de nostro loco v. etiam supra p. 35.

XVIII. 1, 58. in. *Nam quod inertiam accusas adolescentium, qui istam artem primum facillimam non ediscant; quae quam sit facilis, illi viderint, qui eius artis arrogantia, quasi difficillima sit, ita subnixi ambulant, deinde etiam tu ipse videris, qui eam artem facilem esse dicis, quam concedis adhuc artem omnino non esse, sed aliquando, si —, tum esse illam artem futuram; deinde quod sit plena delectationis, in qua tibi remittunt omnes istam voluptatem et ea se carere patiuntur; nec quisquam est eorum, qui, si —, non Teucrum Pacuvii malit quam Manilianas venalium vendendorum leges ediscere.* Recte Matthiaeus ad h. l. in Seeb. Misc. critt. I. p. 678.: *Dicere voluit Cicero: nam quod inertiam accusas adolescentium, — primum quod facillima sit, deinde quod sit plena delectationis, iniuste facis; nam primum, quam sit facilis* etc. Sed quum Antonius urbane caussis, quibus Crassi accusatio rescinditur, relativam formam induerit, ut ista quodammodo levi brachio memorata potius videantur quam iuste contra Crassum adhibita: ipsa vituperatio ad sententiae finem reiicitur, quodque pluribus interiectis verba secuturam repehensionem indicantia: *nam quod acc.* satis sunt obruta ac fere oblitterata, loquens hac opportunitate usus, vere improbantia plane reticet, cuius anacoluthiae praecursorem quasi facit *quod* post *deinde* loco accusativi vel membri relativi positum. *In qua* (arte) habent codd. et vulgo editt.; *in quo* Guelf. C., Schuetz. Muell. Orell. Simile nostro anacoluthon qua ad formam qua ad dicentis consilium habetur ad Q. fr. 1, 2, 3.: *Quod autem me maxime movere solebat, quum audiebam illum plus apud te posse, quam gravitas istius aetatis et imperii prudentia postularet — quam multos*

enim mecum egisse putas, ut etc.? quam multa autem ipsum — ita protulisse etc.? quibus in rebus etiamsi fidelitas summa est, quod prorsus credo, quoniam tu ita iudicas, tamen species ipsa tam gratiosi liberti aut servi dignitatem habere nullam potest. Vides hic quoque ipsam obiurgationem, cuius exspectationem faciunt haec: *Quod autem me m. m. s.*, ob interposita simulque fraterne omitti.

XIX. 1, 62, 264. *Verum ego non solum arbitrabar, his praesertim audientibus, a me informari oportere, qualis esse posset is, qui habitaret in subselliis neque quidquam amplius afferret, quam quod caussarum necessitas postularet: sed maius quiddam videbam, quum,* etc. Hunc locum Matthiaeus *De anac. p.* 7. comparat citato e nostri operis 2, 46, 292. sane anacoluthico: *Et ne hoc in caussis, in iudiciis, in amicorum periculis, — accidere miremur, quum agitur non solum ingenii nostri existimatio* (*nam id esset levius; quamquam, quum professus sis, te id posse facere, quod pauci, ne id quidem negligendum est*); *sed alia sunt maiora multo, fides, officium, diligentia, quibus rebus adducti* etc. Hic enim collocatio verborum: *non solum* satis arguit, ea non nisi ad partem enuntiationis i. e. subiectum pertinere, quare respondens quoque membrum adversativum e verbo *agitur* suspendendum erat: sed parenthesi interiecta scriptor negligentius post hanc novum verbum adhibuit. Priori contra loco praeter pauca haec: *his praesertim audientibus* nihil non ad sententiae integritatem necessario pertinet et verborum *non solum* ea est sedes, ut optimo iure aliud verbum sequi possit, quia

illa ita sunt posita, ut totae enuntiationes non partes harum sibi adversentur. Itaque poterat sequi, sed non debebat, ut vult Matthiaeus l. c.: *sed etiam, qualis esse deberet*: quae orationis forma viro docto sic erat continuanda: *is, qui nullius ornamenti expers esset.* Schuetz. e coniectura edidit: *Verum ego non talem arbitrabar.*

XX. 2, 1, 4. *Sed fuit hoc in utroque eorum, ut Crassus non tam existimari vellet non didicisse, quam illa despicere et nostrorum hominum in omni genere prudentiam Graecis anteferre, Antonius autem probabiliorem hoc populo orationem fore censebat suam* etc. Recte Henrichsenius ad hunc l.: *Anacoluthi genus satis frequens, quo quae secundaria esse debebat sententia, primaria fit.* Verum hoc est rhetoricum anacoluthon, utpote nonnisi e variandi studio ortum ac liberioris formae consectatione: in quo commemorando vir doctus minus constanter versatus est, quum neque hic locus contra alios interpretes editoresve defendendus esset et alia in his libris rhetoricae anacoluthiae exempla inveniantur eodem iure quo illud afferenda, quum et ipsa alterum membrum, quod cum priore ad idem caput referendum erat, non aliunde pendens exhibeant, ut 1, 6, 23.; 18, 84.; 3, 24, 93. Ceterum ad nostrum locum cf. Tusc. 3, 26, 63.; Off. 1, 3, 8.; Fin. 1, 13, 45, 46.; supra II.

XXI. 2, 6, 23. *Sic enim se res habet* etc. V. supra p. 33.

XXII. 2, 11, 48. *Nam et testimonium* etc. V. supra p. 35.

XXIII. 2, 22, 90. *Tum accedat exercitatio, qua*

illum, quem ante delegerit (orator, qui fingitur), *imitando effingat atque ita exprimat, non ut multos imitatores saepe cognovi, qui* etc. Iam, ut bene observat Matthiaeus in Seeb. Misce. critt. I. p. 681., quum secundum institutam orationem post haec: *non ut m. im. saepe c.* auctor pergere voluisse videatur: *sed ut, quem probavit, in eo quae maxime excellent, ea diligentissime persequatur,* post priorem partem subiungit ea, quibus probet, quae dixit; tum ab hac degressione redit § 92. verbis: *Qui autem ita faciet* etc.

XXIV. 2, 46, 192. *Et ne hoc in caussis* etc. V. supra p. 38.

XXV. 2, 78, 319. *Sic et facile reperientur* etc. V. supra p. 35.

XXVI. 3, 1, 3. *Hic, ut saepe inter homines sapientissimos constare vidi, quamquam hoc Crasso, quum aliquid accuratius dixisset, semper fere contigisset, ut nunquam dixisse melius putaretur, tamen omnium consensu sic esse tum iudicatum, ceteros a Crasso semper omnes, illo autem die etiam ipsum a sese superatum.* Sic Havn. A. B., Ox. ψ., Ald., Iunt., Man., Lamb., Grut., Muell , Olshaus., Orell., Henrichsen. *Audivi* post *iudicatum* addunt cd. Mead., edd. antiquiss., Ern., Schuetz., Harl.; *audivimus* eodem loco habet cd. Regius 7703. ap. le Clerq., quae ipsa διττογραφία, recte monente Orellio, glossematis iudicium praebet. Particulam *ut* omittunt γ, Guelf. A. et edd. aliquot le Clerquii: Guelf. B. exhibet: *hic et saepe:* quae omnes discrepantes scripturae e studio vitandi anacoluthi aperte

sunt derivandae. Tueri igitur debemus lectionem supra positam utpote librorum auctoritati aptissimam, ad quam confirmandam haud minimum affert momenti coniunctivus manifesto obliquus *contigisset;* et vocula *tum* initio positam *hic* repetens, ut nihil plane commune sit primo institutae et post secundarium membrum continuatae orationi. Nec vero locus noster explicatione caret, sed pendet verborum: *tamen — iudicatum* constructio ex enuntiatione secundaria: *ut constare vidi*: quae est illa anacoluthiae species, quam supra vocavimus attractionem. V. p. 3. Exempla sunt nostro similia Off. 1, 7, 22., ubi Beyerus rectissime observat, esse hunc Graecismum illum, quo post ὡς cum aliquo verbo sentiendi iunctum sequi soleat pro finito verbo infinitivus. V. p. 3.; Rep. 1, 37. Consilium autem si quaeris quale fuerit scriptori, ut hoc anacoluthon admitteret: voluit graviores etiam videri maximas illas Crassi laudes, si dictionis forma non modo sententiam, sed etiam prope verba illorum hominum repeti indicaret. Quod cur non statim ab initio ita instituerit, in caussa est vel negligentiae quaedam consectatio vel id, ut eo magis legentes illud ipsum consilium animadverterent. Ramshornius p. 1009. substantivum *recordationem* § 1. vocula *sic* § 3. repeti putat, sed neque quomodo hoc omnino statui possit intelligo et *sic* aperte ad sequentia spectat.

XXVII. 3, 12. extr. *Ergo ista, inquit Crassus, quae habes a me, non reprehendo, ne me ipsum irrideam (sunt autem mea multo et plura et maiora quam dicis); quae autem sunt aut tua plane aut imitatione ex aliquo expressa, de iis te, si qui*

me forte locus admonuerit, commonebo. Hunc locum Ramshornius p. 1011. iis anacoluthis accenset, in quibus continuantia interiectis applicantur: at quidni etiam sine interiectis *autem* hic poni poterat?

XXVIII. 3, 18, 65. *Sed utrumque est in his* etc. V. supra p. 35. sq.

XXIX. 3, 31, 123. *Quae quoniam iam aliunde non possumus, sumenda sunt nobis ab iis ipsis, a quibus expilati sumus, dummodo illa ad hanc civilem scientiam, quo pertinent et quam intuentur, transferamus neque, ut ante dixi, omnem teramus in his discendis rebus aetatem; sed quum fontes viderimus, quos nisi qui celeriter cognorit, nunquam cognoscet omnino, tum, quotiescunque opus erit, ex iis tantum, quantum res petet, hauriemus.* Sic cdd. et vulgo edd.; *hauriamus* Lamb. e coniectura, Ern., Schuetz., Harl., Muell. At recte Matthiae. *De ann.* p. 23. nonnunquam ait e duobus membris, quae ad unum idemque caput referri debebant, alterum sententiam non aliunde pendentem constituere, id quod etiam in nostrum locum cadit. Vitaturus enim speciem omnium ad amussim prorsus factorum, praesertim quum sentiret, cunctis a particula conditionali pendentibus membris longiusculis languescere orationem, Cicero admisit rhetoricum illud anacoluthon, nostro quidem loco ea quoque opportunitate usus, quod negativum membrum *neque — aetatem* habet positivum antegrediens, in quod se quasi reclinet. Cf. XX.

THESES.

I. Non adeo incertum videtur, utrum L. L. Crassus in Macedonia an in Asia quaestor fuerit.

II. Lex Servilia de iudiciis equitum cum senatu communicandis perlata videtur.